

1798

1798.

Kem / 3494  
(1-19)

DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UG<sup>R</sup>ALIS MEDICA  
DE  
**ANI FISTULIS**  
CURANDIS.

SPECIMEN HISTORICO - MEDICUM,

QUOD

CONSENSU FACULTATIS MEDICAE  
HALENSIS

PRAE<sup>S</sup>IDE

VIRO ILLUSTRI, EXCELLENTISSIMO,

**IO. CHRISTIAN. REIL,**

MEDIC. ET CHIRURG. DOCT.,

THERAP. PROF. PUBL. ORDIN., SCHOL. CLINIC. DIRECT.,

CIVIT. HALENS. PHYSIC. ET ACAD. IMP. NAT. CUR.

SODALI,

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE  
ET CHIRURGIAE

DIE XVII. APRIL. C<sup>I</sup>CCXXVIII.

RITE OBTINENDO

DEFENDET

AUCTOR

ERNEST. THEOPHIL. FERD. ENGEL,  
BEROLINAS,  
SOCIETAT. SYDENHAM. HAL.  
SODAL.

---

HALAE,

TYPIS FR. AUG. GRUNERTI, PATR.



CHRISTIANA LITERATURA RUSSICA

AN EDITION

CURANDIS

SCIENTIA HISTORICO-MEDICA

COOPERATIONE TACITURNI MEDICAE  
HABITANTIS

PROTOMEDI

AD HISTORIA MEDICO-SCIENTIA

IN CHIRURGIA ET MEDICO-SCIENTIA

PRO-CRUDUS IN CHIRURGIA  
ET MEDICO-SCIENTIA

TI CHIRURGIA

PRO-CRUDUS MEDICO-SCIENTIA

СОДОЧНО-ХИРУРГИЧЕСКАЯ

СОДОЧНО-ХИРУРГИЧЕСКАЯ

СОДОЧА

СОДОЧНО-ХИРУРГИЧЕСКАЯ

СОДОЧНО-ХИРУРГИЧЕСКАЯ

СОДОЧНО-ХИРУРГИЧЕСКАЯ

СОДОЧА

СОДОЧНО-ХИРУРГИЧЕСКАЯ

V I R O  
ILLUSTRI, CONSULTISSIMO,  
**IOANNI GUILIELMO AXT,**

CONSULI URBIS DRESDENSIS

MERITISSIMO,

AVUNCULO PLURIMUM VENERANDO,

UT ET

**THEOPHIL. SALOM. ENGEL,**

CHIRURG. EXERCIT. BORUSS. PRAEFECTO GENERALI,

CONSILIARIO REG. MAI. AULICO,

PATRI DILECTISSIMO,

GRATITUDINIS ET REVERENTIAE

CAUSSA

SACRUM HOC SPECIMEN VULT

AUCTOR.



V I R O

H U T T E R I C O N S U L T A T I O N E

I O A N N I G U N H E R M A T

C O N S U L T A T I O N E

A U N C I O P R O C U R A T U M A V E R B A M D O

T H E O P H I L S A L O M E N G E R

C O N S U L T A T I O N E

C O N S U L T A T I O N E

G R A V I C I O N I T A E

C O N S U L T A T I O N E

ПАРУС НАЧИНАЕТ СВОЮ МОДУЗ

• EOTUSA

DE

## FISTULIS ANI CURANDIS.

**U**lcus, quod ad anum, subter actis quasi radicibus serpit, unoque ore vel pluribus orsum, velut cuniculis per cutim aut variis flexibus fertur, fistulae nomine *venit*.

2.

Eius vitii variae statuuntur species pro formae differentia. Etenim, cum sinus intra carnem aut cutim definit, ore unico duntaxat aperto, *coeca* appellatur fistula, quae modo *externa* est, si extus foramen扇ieisque profluvium patet; modo *interna*, si in ani cavitatem prōmanat扇ies. Ab his diversa est *perfecta* fistula, quae utrinque os apertum servat.

3.

Cum aliae quidem fistulae cutim tantummodo legere, aliae vero altius penetrare atque ad interiora pervenire soleant, haec saepius *callum* habent, qui vero plerumque nil nisi vestigium diurnae complectitur inflammationis, neque curationem per se exigere potest.

A



## 4.

Multo magis vero auxilium artis postulare videtur *faniei* colluvies, quae intra cuniculos acervata pessimam adipiscitur indolem, qua adiicitur inflammationi callofaeque duritiei, quae, cum libere profluere nequeat, altiora petit, vicinasque partes exedit. Plurimum itaque referre a pristinis inde temporibus creditum est, huic *faniei* exitum parare, adeoque ulcus occultum in apertum, finusque multiplices in unum cavum mutare. Maximi autem momenti instar haberi haec curatio videtur in fistula anno proxima, quae adsiduo irritatur faecibus congestis ac prementibus, in fistula, quae insignem carnium ambitum destruere potest, citra ullum magnus auxilium.

## 5.

Quatuor autem potissimum curationis modi existant, a remotissima inde antiquitate celebrati, quorum finis eo redit, ut cuniculi aperiantur, in quos fanies proferpit, atque ulcus, quod coecum est et occultum, apertum fiat.

a. Et prima quidem curatio complectitur compressionem, ope vincturae, qua parietes finuum secum uniuntur, eoque modo coëunt, ut sanescere possint. Haec autem imperari tantummodo potest, cum satis purgati sunt sinus, omnesque fordes emisae, atque cum pressio in omnem omnino ambitum fistulae agere potest. Quodsi enim sciatet adhuc foribus fistula, quodsi altiora petit, faniesque in imam

carnem fertur, inutilis profecto compressio est.  
Unde, quam raro locum obtineat in ani fistulis,  
per se patere videtur.

b. Secunda curatio *linum fistulae condi*, idque  
ita prehendi atque vinciri iubet, ut, qua mordet  
carnem, eam paullatim incidere, eaque ratione de-  
struere cuniculos possit. Potest ea curatio in per-  
fectis duntaxat fistulis imperari, cumque, nobilem  
nullam partem filo incisum iri, metuendum est.  
Haec antiquissima fere ratio dolore vacat, eoque  
potissimum nomine praedicatur.

c. Implantur tamen etiam fistulae *linamentis*,  
collyrium quoddam acre excipientibus, quo cuniculi  
dilatati ita stimulantur, ut nova oborta suppura-  
tione in unum coire possint. Linamenta ea lente  
duntaxat ampliant sinus, dolore quidem per se ex-  
pertia, atrocissimum eum nonnunquam gignunt,  
dum causticis excipiuntur. Neque perfecta ubique  
curatio inde exspectanda.

d. Ultima tandem ratio versatur in incidentis  
sinibus, quo tutissime coëunt, aut occultum antea  
ulcus apertum fit. Quodsi cutim legit transversaque  
est, incidi sine negotio cutis potest: si autem recta  
subter tendit, ferramentis ita est os ampliandum,  
ut ulcus copi speciem prae se ferat, cui indi colly-  
ria possint. Quodsi vero flexus reperiuntur, plu-  
resque se quasi ramuli ostendunt, specillo simul et  
ferro persequendi sunt, atque contra eorum princi-



pium incidi commodissimum est. Ultima haec ratio ceteris plerumque anteferri oportet, dumne dolores metuamus et sanguinis profusiones, e laesis ani et vicinarum partium vasis obortas.

## 6.

Quibus praemissis inquiramus iam in fata harum rationum, atque primum animadvertisimus, antiquissimum illum librum, Hippocratis nomine circumlatum, *de fistulis*, commoda continere consilia ad filum sinibus condendum, eiusque vinctura fistulam sanandam. Turundas autem primum auctor suadet causticis illitas, quibus ampliare et os et sinus ulceris studet.<sup>1)</sup>

Specilli loco is auctor utitur allii caule recenti, quo altitudinem cuniculorum metitur. Deinde byssinum linteum, tithymali succo imbutum, usque aeris flore adspersum, in collyrii formam fistulae longitudini aequalem intorquet, filo per extremum linamentum, rursusque per summum caulem traecto. Post haec ampliat anum et os ulceris ope ferramenti, quod *κατοπτή* dicitur, linamentum intus propellit, glandemque corneam ano indit, extus Cimoliam cretam illinit, ut linamentum et glans intus maneant. Cum vero desidendi cupiditas contigerit, eximit glandem rursusque intromittit ad quintum usque diem.

<sup>1)</sup> Hippocr. de fistulis, p. 883. Foss.

7.

Accedit deinde auctor antiquus ad lini crudi applicationem, quam ita instituit, ut tenuissimum linum crudum quintuplex contortum foramini specilli perforati immittat, id specillum per alterum os ulceris intrusum per alterum educat, filum autem, seu linum crudum ibi finat, quod deinde torquetur ac nodo ligatur. Quibus factis altero die, aut, cum laxatum esse videtur filum, arctius id constringitur, nodo iterum ligato; quodsi autem competruerit linum, aliud immittit cum feta, quae putredinis expers est. Postquam fistula computruit, spongiam melle imbutam indit, superque eam dat aeris florem. Intra septem dies sperat, lino incidi atque perforari posse cutim.

8.

Primus autem fere, qui incisionem fistularum suavit, est medicorum Cicero, Aulus Cornelius CELSUS. Is quamvis alio loco multa commendet collyria ad fistulas communes, ani tamen fistulam iubet immisso specillo totam cultro aperire, deinde novo foramine specillum educi lino sequente, quod in aliam eius partem coniectum sit. Ibi linum prehensum vinciendum cum altero capite suadet, ut cutim, quae super fistulam est, laxe teneat; idque linum esse debere crudum, et triplex aut duplex, sic tortum, ut unitas facta sit. Postea id linum bis die, salvo nodo, ducit, sic, ut subeat fistulam pars, quae superior fuit. Neque commit-

tendum esse, ut id linum putrescat, sed tertio quoque die nodum esse resolvendum, et ad caput alterum recens linum adligandum, eductoque veterem, id in fistula cum simili nodo relinquendum. Sic enim id paullatim cutem, quae super fistulam est, incidere, simulque et id sanescere, quod a lino relictum est, et id, quod ab eo mordetur, incidi.

## 9.

Qui festinent, adstringere cutem lino, quo celerius fecent: illam enim curationem longam esse et sine dolore, hanc vero dolorem movere. Adiici celeritati, si linum aliquo medicamento illinatur ex iis, quae callum exedant.

Si vero intus fistula ferat, si multiplex sit, demisso specillo, duabus lineis cutem incidit, ut media inter eas habenula admodum eiiciatur, ne protinus orae coëant. Si ab uno ore plures sinus fuerint, recta fistula scalpello ipsius confilio incidenda erit, ab eo ceterae, quae iam patebunt, lino excipiendae.<sup>2)</sup>

## 10.

Ad LEONIDAM usque Alexandrinum nil adiectum est curationi Celsiana, nisi quod GALENUS *syringotoma* memoret, quae capitulo rotundo munita ac altero latere obtusa fuisse videntur.\* ) Is

<sup>2)</sup> CELS. Tib. VII. c. 4.

\* ) Meth. med. lib. VI. c. 4. p. 100.

vero auctor incertae aetatis, junior tamen GALENO, quem citet, incisionem fistulae ani uberius adhuc atque melius describit, primusque esse videtur, qui callosum totum ambitum fistulae simul excindere iussit. Si post sectionem apparuerit callus, circumscalpit eum, malo utique consilio: peiori etiam suadet rugas, si quae adsint, volsella exten-  
tas resecare. Qui vero ob metum dolorum vel san-  
guinis profundendi incisionem metuant, eos curat  
collyriis siccantibus ac exedentibus, quae potis-  
simum ex spuma argenti parare docuerat GALE-  
NUS.<sup>3)</sup>

## 11.

PAULLUS quoque AEGINETA ἀπολιθωτῷ Hippocratis spernens, audacter fecit, ubi fistulam cutem legere videt; quodsi vero altiora petat, ampliandum esse os atque contra principium fistulae alio loco eam incidentam esse, ut sanies inveniat, qua emanare possit.<sup>4)</sup> Prospiciendum tamen esse musculo, qui anum constringit, ne eo laeso citra voluntatem faeces postea provolvantur. Bene etiam animadvertisit, speculum ani, quod LEONIDES commendaverat, saepius inutile, quin noxiū esse.

## 12.

Repetit id consilium Arabum medicorum prin-  
ceps, AL-Hussein EBN SINA, qui pilis tortis aut

<sup>3)</sup> AET. tetrab. IV. serm. 2. col. 688. coll. Stephan.

<sup>4)</sup> Lib. VI. c. 78. p. 205.

fetis contortis esse ἀπολίνωσιν Hippocratis instituen-  
dam suadet: cavendum tamen, ne spasmus ex ad-  
stricto nimis lino accidat. <sup>5)</sup>

13.

Qui vero masculam chirurgiam inter Arabas  
praesertim excoluit, Khalaf, A B U ' L K A S E M,  
Zahara - Hispanus, ceteris circumspectius docet,  
hanc curationem instituere. <sup>6)</sup> Multum autem pro-  
tinus statuit interesse inter perfectam fistulam et coe-  
cam: hanc sanescere utique posse, illam vero, quod  
S O S T R A T U S iam apud C E L S U M testatur, in-  
sanabilem esse. Specillo prius introducto, ut al-  
titudinem sinuum metiri possit, cauterium ferreum  
calefactum impellit, atque eius ope destruit quascun-  
que partes vel callosas vel corruptas; circumspectif-  
fime tamen evitandum esse nervum aut vas sanguiferum  
aut viscera vicina: tunc penicillo, qui oleum  
excipiat, eluendum esse sinum, atque curandum  
cum unguentis, quae carnem facere possint. Ultio-  
nem ceteroquin praefert aliis curationibus, quod  
et auferat callum et sanguinem cohipeat, et huma-  
res superfluos abstergat. Quodsi vero superficiem  
tantummodo fistulae sinus legerit, incidendam poti-  
tius esse cutim per totum fistulae tractum, deinde  
superdanda epulotica atque caustica. Denique vero  
ἀπολίνωσιν Hippocratis quoque commendat.

<sup>5)</sup> Lib. III. sen. 17. c. 19. f. 355. b.

<sup>6)</sup> Chirurg. lib. I. c. 36. p. 71; lib. II. c. 80. p. 355.

Qui Arabas sequebantur, medii aevi scriptores, utut meticulosi erant in adhibendo manus auxilio, masculine tamen curandas esse ani fistulas plerique suaserunt. Sic ROGERIUS Parmensis, seculo decimo tertio, turundis implet sinus, quibus fetas aut fila adnectit, quorum constrictorum ope carnem paullatim incidere, eaque ratione demere conatur. <sup>7)</sup>

THEODORUS quoque Cerviensis prioribus methodis novam addit, quam a praceptor, HUGONE Lucensi didicisse videtur. Postquam enim de ἀπολινώσει praecepit, secundam adiungit methodum. Filum enim non constringit, sed firmius illud atque grossius extendit altera manu, altera vero incidit eam carnem, quae infra filum est, ferramento falciformi, donec filum integre liberetur, tunc vero exedentibus tractat uleus. Hanc rationem ceteris prae fert, cum nullam ἀπολινώσει institutam perfectam curationem videre se meminerit. Posse enim multo acerbiores inde gigni dolores, longam etiam esse curationem, ac spasmos saepius sequi ex constricto ani musculo sphinctere. <sup>8)</sup>

Quo rarius id consilium auctoris ceterum superstitioni ac credulitati maxime dediti, eo magis

<sup>7)</sup> Lib. III. c. 48. f. 375. d.

<sup>8)</sup> Lib. III. c. 42. f. 171. b.

absqua videtur curatio, quam **GUILIELMUS DE SALICETO**, eiusdem aevi chirurgus, commendat. Sufficiunt fere ipsi turunda causticis, auripigmenti aut aluminis exemplo, imbutae: refugit saltem ad linum per fistulam ducendum. Id tamen ita dicit, ut tormento plus adiiciatur, namque in ferrae modum quotidie id hac illacve trahere inbet, neque inficiatur, damna plura se ex absurdâ illa curatione vidisse.<sup>2)</sup>

Eam autem curationem, quam Theodoricus commendat, sibi vindicat **BRUNUS Calaber**, qui medio seculo eo scripsit. More vero eius aevi aliorum consilia transcribere, id forte facit, quum satius mihi videtur, utriusque abiudicare masculam eam incidendi rationem, delegare autem ad *Hugonem Luccensem*, a cuius ore pependisse celeberrimos eius aevi chirurgos constat.<sup>10)</sup>

## 16.

Pauca his addidit **GUIDO DE CAULIACO**, seculi decimi quarti auctor egregius. Fistulae enim finum primum turunda, quam e gentiana conficit, ampliat: aut methodum etiam Bruni et Theodorici, a magistro ipsis, *Henrico de Hermonavilla*, edocet, ita emendare satagit, ut in caniculum fistulae

<sup>2)</sup> Lib. I. c. 46. f. 318. a.

<sup>10)</sup> Lib. II. c. 16. f. 128. c.

per foramen chordulae specillum sulcatum et parum  
fimū intromittat, deinde ignito ferramento ea  
omnia transcindat, quae super specillo sunt, ut id  
libere extrahi possit. Merito deinde carpit Brunum  
et Theodoricum, quod callos etiam excindere do-  
ceant: tantum abesse opinatur, ut remanens is no-  
ceat, ut magis quoque utilis sit.<sup>11)</sup>

Duorum fere seculorum spatium interiectum  
est inter Guidonem de CAULIACO et Ambrosium  
PARAEUM, neque medio quodam inter utrumque  
aliquid adiectum est ad hanc curationem. PA-  
RAEUS autem, praeterquam quod ἀπολίνωσιν in  
perfectis fistulis eodem modo instituat ac Guiliel-  
mus DE SALICETO, coecas ita curare docet,  
ut per os ulceris tubulum resimum intromittat in  
sinum, donec attingat coecum finem aut callum,  
quo sinus prope ab intestino recto terminatur. Tunc  
peculiare ferramentum, quod acum utrinque fecan-  
tem et acutissimam refert, per tubulum eo usque  
propellit, ut callum perforare atque transcindere  
possit. Post haec linum etiam perfecta hac arte  
fistula excipit. Quodsi autem superficiem tantum  
legit fistula, solo scalpello per totum tractum ape-  
riunda ipsi esse videtur. Superstites tamen calli re-

<sup>11)</sup> Lib. IV. doctr. II. c. 7. f. 51. b.

currere saepissime fistulam iubent. Escharotica autem et acria adhibet ad callum auferendum.<sup>12)</sup>

18.

Solam incisionem reliquis curationibus praefert Hieronymus FABRICIUS AB AQUAPENDENTE. Cum enim alte progreditur coeca fistula, primum eam dilatat speculo ad id aptato, deinde eluit vino, quod aeris florem, myrrham, lyriumque excipit. Incidit postea gladiolo ad id peculiariter parato, acie praedito longa et acutissima, circa cuspidem aliquantum recurva. Aperto ulceri inspergit aeris florem, ad quintum usque diem, ut callus auferatur. Deinde inflammationi obiicit aquam polentae et betae, superque addit glutinaria. Tum turundas tum ἀπολινώστη taxat, velut inutiles curationes et longas et cruciatus plures generantes.<sup>13)</sup>

19.

Uctionem ab ABU 'L KASEM commendatam, posteaque fere desertam, in usum iterum revocavit Marcus Aurelius SEVERINUS<sup>14)</sup>; improbato causticorum, turundarum et ἀπολινώσεως usu, quippe quae tam atrocia sint, ut ne ab iumento

<sup>12)</sup> Oeuvres, liv. XIII. ch. 23. p. 325.

<sup>13)</sup> De chirurgia, lib. III. c. 12. p. 147.

<sup>14)</sup> De efficaci medicina, lib. II. P. I. c. 92. p. 262.

quidem possint tolerari. Circumspiciendum tamen esse, ne altius in corpus feratur fistula, neque nervi urantur.

20.

Uberrime praecipit de fistulis ani Ioannes SCULPTUS, ferramentis utens, quae Adrianus SPIGELIUS paraverat. Fistulam ani perfectam, adhibitisque medicamentis minime cedentem curaturus, specillum depromit argenteum in utraque extremitate capitulis rotundis praeditum, illudque curvat pro necessitatis ratione. Specilli extremitati et syringotomi globulo filum ex lino duplicato adligat. His rite peractis, fistulæ externo orificio lente intrudit specillum, illudque, ut et filum duplicatum et globosum syringotomi caput per ani orificium trahit. Postea manu sinistra arripit syringotomi caput, dextra vero eius extremitatem, atque sic, ferramento partim tracto partim impresso, fistulam uno quasi ictu integre incidit. Qua incisa sanguinem fistere, inflammationem prohibere, calumque ope mercurii praecipitati rubri absumere studet.

Coecas autem fistulas ita curat, ut specillum argenteum, in altera extremitate capitulum rotundum, ac, ut filum fericum traici possit, perforatum gerit, in altera instar acus ancipitis acuminatum est, prehendat, apicique pilulam ceream adfigat, quo specilli acumen libere transire ad fistulæ fundum possit. Invento fundo fistulæ, sinistra ma-

nu fortiter trudens specillum perforat cutem, illudque per fistulam dicit, dependente ex utraque fistulae orificio, filo ferico. Hoc constringi eiusque ope incidi cutem superfluum ac noxium habet cum Fabricio ab Aquapendente. Dilatata itaque per biduum fistula fericum aufert, fistulamque incidit eo modo, quo perfectae curantur.<sup>15)</sup> Haec autem ratio, a Bruno aut Theodorico primis consignata, omnia coniungere ipsi emolumenta videtur.

## 21.

Iudicio non vulgari ac usu Richardus WISEMANUS curationis modum indicavit. Ligaturam nonnunquam ope ferici fili institutam a se administratam esse ita, ut specillo usus sit flexili, quod, dum coeca fuerit fistula, altero extremo acutum fecerit. Cum vero fistula fuerit tortuosa ac multis gyris implicata, tubulum adhibuisse, per quem acus aut specillum acutum intruserit. Quodsi incidenda sit fistula, commendari a nonnullis forficem, qua uti omnino possimus, dummodo rugis prospiciatur ac plicis, quas internus fistulae paries saepius recipiat, atque quibus scissis duo vulnera orientur. Coniungit autem potissimum quascunque curationes, ut et turundas ex radice gentianae, et causticum lapidem et ἀπολίνωσιν et ipsam incisionem, adhibeat.<sup>16)</sup>

<sup>15)</sup> Armamentar. chirurg., tab. XLV. p. 108.

<sup>16)</sup> Chirurgie. treatis., B. III. ch. 2. p. 366.

Petrus DIONYSIUS quoque egregie illu-  
strat incisionem, quam omnino praesert aliis ratio-  
nibus. Suo tempore causticum laudes summas tu-  
lerat, MONACHO (*le Moyne*) quodam illud  
adhibente, curationibusque suis divitias insignes ac-  
quirente. Is unguento corrosivo turundam imbu-  
tam intrudere solebat in sinus, qua ampliati denique  
facile sanescerent. Ligaturam praedicaverat THE-  
VENINUS, quam antiquorum more, filo vel seri-  
co, vel linteo, adiuncta feta equina, perficiebat.  
DIONYSIUS vero incisionem preeferens, stilum  
protinus curvum per fistulae externum os ita intru-  
dit, ut exeat ex altero ore in ani cavitatem; tunc  
prehensio stilo ac constrictis partibus, quae ansam  
eius utramque interiacent, scalpello aut forfice trans-  
scindit carnem medium, deinde vero callosas par-  
tes, si quae supersint. Alios uti consuecere fulca-  
to specillo, cuius fulco utiliter inniti possit et for-  
fex et scalpellum.

Describit DIONYSIUS aliud etiam ferramentum, quod componitur et scalpello et stilo ipse  
annexo. Dilatato paullisper orificio fistulae, stilum  
protinus impingit scalpello adhaerentem in fistulam:  
scalpellum ipsum curvum, tenue, acie praeditum  
munita vagina argentea, ne partes sanas laedere  
possit, sequitur tunc sponte stylum. Intruso scal-  
pello, retrahitur vagina; altera manu prehenditur  
stilus, altera scalpellum, eoque modo attrahitur

utrumque ferramentum, ut tota cutis interiecta incidatur. Coecas autem fistulas prius perforat, quam incidere eas totas conetur. Super vulnus vero dat linamenta carpta, oleo et vitello ovi imbuita. Denique narrat curationem, quam **FELIX** instituerat in rege Galliarum, fistulam ani patiente.<sup>17)</sup> Administrata autem fuit ope syringotomi, cui, more eius aevi servili, *regii* nomen datum est. Hoc exemplo incitati plerique chirurgi prioris seculi abolitam penitus habuerunt *ἀπολίγωσιν*, atque foliam incisionem laudarunt.<sup>18)</sup>

## 23.

**Petrus de MARCHETTIS** primus fere conductorem syringotomi ita emendavit, ut specillum fulcatum latiusculum confici curaret, ipsum vero ferramentum habuit cultellum rectum, quo, dilatato prius ulceris ore et immisso specillo parietes uno velut ieci transcidit. Callum tollere studet aeris flore et mercurio praecipitato.<sup>19)</sup>

Ita quoque **Guilielmus MAUQUEST DE LA MOTHE**, laudata incisione, maxime prospicendum imperat, ut callus tollatur et caro luxu-

<sup>17)</sup> Cours d' opérations de chirurgie, dem. IV, p. 350.

<sup>18)</sup> Solingen manuale operat. des Chirurg., p. 223.

<sup>19)</sup> Observ. chirurg., p. 115.

rians, abstinentum tamen ab incisione, dum metus adsit, sphincterem ani laedi posse. <sup>20)</sup>

24.

Plurimum referre arbitratur Ioannes Ludovicus PETIT, ut calloae partes auferantur: eas enim difficiliorem reddere curationem. Incidit totum cuniculum, ope curvi scalPELLi et specilli sulcati; illius quoque auxilio aufert callosas partes, quas abradere unguibus nefas sit, multum negotii facebat, si forfice illas evellere studueris, quae potius conquatiant quam penitus abscondant eas. Primus quoque, ni fallor, PETITUS laesionem ac dissectionem sphincteris haud adeo noxiā invenit, ac vulgo credebatur: saepius enim se vidisse fibras eius musculi iterum coaluisse. Sanguinis profusiones sisti omnino posse pulvillis ficcis, ellychniis aut linamentis carptis. Fusa deinde probare studet, vulnera eiusmodi ano inficta omnino sanescere posse. DIONYSII stilum taxat, ob tormenta insignia, quae aegro gignat. <sup>21)</sup>

25.

Ratio, quam Henricus Franciscus LE DRAN describit, hoc p̄aeprimis pertinet. Coecas fistulas, quarum os in anum terminatur, ita curat, ut digito in anum introducto, callosam partem designet, deinde vero scalpello discindat eam, ut aperta evadat fistula. Specillum protinus fulcatum inter calloas

<sup>20)</sup> Traité complet de chirurg., vol. III. p. 34.

<sup>21)</sup> Traité des maladies chirurg., vol. II. p. 162. l.

partes impingit, ut os intestini attingit: ad fulcum huius specilli stilem acutum producit, retracto specillo: eo stilo forat intestinum super callosas partes, quas digitus index exploravit. Format autem stilos tunc ansam, intra cuius brachia comprehensas partes totas cultello adimit, deinde etiam vel scalpello vel forifice aufert quascunque partes vel callosas vel rugosas. Ut sanguinis profusio sistatur, ellychnium superdat styptica aqua aut essentia Rabelii imbutum. <sup>22)</sup>)

## 26.

Henricus etiam BASSIUS emendare studuit ferramenta, quibus ani fistula inciditur; syringotomum enim effinxit tubulo conditum, cuius obtuso apice specillum argentum flexum iunctum est, aliudque specillum acui crinali similem, quo eodem modo utebatur, ac DIONYSIUS et DRANIUS stilo. <sup>23)</sup>)

RUNGII ferramenta, quae HEISTERUS delineare curavit, nil peculiare neque novum habent; ea enim sunt, quibus Franco-Galli iamdudum usi fuerant, specillum nimirum curvum et fulcatum, et scalpellum ad id aptum. <sup>24)</sup>)

<sup>22)</sup>) Traité des opérations de chirurg., p. 144.

<sup>23)</sup>) HALLER diff. chir., vol. IV. p. 480. et BASS. observat. chir., p. 30.

<sup>24)</sup>) HEISTER. chirurg., tab. XXXV. fig. 11 — 13.

27.

Renatus Crescentius GARENGEOTUS tres potissimum rationes describit: *prima* est ea, quam DIONYSIUS commendaverat, e stilo ansam factam ita constringit, ut transcindendae partes eadem comprehendantur. *Altera* methodus cum DRANII congruit: specillum enim flexile, altera extremitate acutum, in finus os immittit, digito vero in anum intruso finem discere studet specilli: tum retractum paulisper specillum impingit in intefinum rectum, paulo supra fistulam, quo facto scalpello recto incisio instituenda. Hanc rationem praeferim tutam habet; neque tamen alienam plane esse quandoque *tertiam*, quae forsic potissimum administratur, qua callosae partes circumraduntur ac auferuntur.<sup>25)</sup>

28.

Inter omnes autem fere chirurgos huius aevi solus fere FOUBERTUS antiquam ἀπόλυτεως methodum in usum iterum revocavit, hactenus tamen mutatam, ut lini crudi ope acciperet plum:bum, quod in filii longitudinem formatum per utrumque os fistulae perfectae traiectum constringit in nodum. Id sane non putreficit, sed cruciatus omnino plures generare potest. Ante tertium diem id arctius constringendum non esse docet, tum vero in dies arctius, donec penitus incisa fuerit cutis.

<sup>25)</sup> Traité des opérat. de chirurg., vol. II. p. 354.



Eam methodum uberioris descripsit L E BLANC: <sup>26)</sup>)  
 alioque modo  $\alpha\piολινωσιν$  veterum restituit immorta-  
 lis CAMP ERUS. Laudem omnino ea meretur,  
 ubi fistula tam alte radices egit, ut sanguinis profu-  
 siones maxime metuere liceat. Linum autem crudi-  
 dum aut sericum filum optimum ad eum finem esse,  
 inde patet, quod linum lixivio solique expōsum  
 facilius putrefacat. Ceteroquin CAMP ERUS egre-  
 gie probat, callosas partes sibi commissas protinus  
 evanescere, ut suppuratio bona revocetur. Hinc  
 excidendum haudquaquam callum esse. <sup>27)</sup>)

29.

Praeter bona consilia, quae tironibus per quam  
 utilia PLATNERUS iniungit, habet etiam novum  
 ferramentum, scalpellum nempe, quod elatere mo-  
 vetur, ac in quod, ut salvum servetur intestinum,  
 conicicitur specillum fulcatum: id a SENFFIO  
 emendatum, delineare curavit. <sup>28)</sup>)

30.

Georgius HEUERMANNUS non sine meri-  
 tis circa huius vitii curationem est. Is enim primus  
 hortatur, fugiendam esse ferramentorum applica-  
 tionem, ubi ex internis caussis, aut e phthisi potis-  
 sum pus in hunc locum delatum est, aut ubi per-  
 tinacibus aegri laborant obstructionibus viscerum ab-  
 dominalium. Insanabiles etiam eas esse fistulas, quae

<sup>26)</sup> Précis d'opérations de chirurg., p. 97.

<sup>27)</sup> CAMPERS kleine Schriften, Th. II. St. 1. S. 148.

<sup>28)</sup> PLATNER. chirurg., §. 1006. tab. IV. fig. 17.

tam alte radices egerint, ut neque digitis neque speciillis explorari possint.

Caustica iniecta non penitus damnat, ubi superficiem tantummodo legunt fistulas: merito quoque taxat DIONYSII aliorumque ansam, quae dolores citra necessitatem gignat; satius enim esse, dilatare ulcus ad fundum usque, scalpello deinde aut forisce et callosas partes et sinus dividere, qui obviam veniant. Sibi minime etiam placere scalpel-la elatere mota, minime ea, quae specillo flexili armata sint. Consultius agi, dum contra principium sinus, novum infligatur vulnus, ubi specillum per os internum adactum cutim tollere videris. Delin-  
neat autem curvum scalpellum, cuius apici adnexum specillum bene ipse videtur in occultis fistulis infervire. <sup>29)</sup>

abne invenimus easque 31.

SHARPIUS primus fere damnavit arte parata ac satis composita ferramenta συριγγότομα: forisce utitur plus quam forte licet. Callofas partes in toto ambitu esse excindendas. Neque metuit resolutionem intestini a discoflo sphinctere, experientia doctus, eum sine noxa nonnunquam vulnerari. <sup>30)</sup>

32.

Inter Germanos PALLASIUS plura attulit, quae superfluam esse quandoque curationem aut no-

<sup>29)</sup> HEUERMANN von chirurg. Operat., Th. II.  
S. 205. tab. V. fig. 3.

<sup>30)</sup> SHARP's treatise on the operations in surgery,  
ch. 14. p. 70.

xiam docent, multoque tutius agi vel collyriis vel  
victus ratione emendata, dum fistulae internas agno-  
scunt caussas, sive dum totum intestinum aut partes  
vicinas depaverint. Ut fistula coeca perfecta red-  
datur, tribus vicibus perforat fundum fistulae, quod  
superfluum in noxium mihi quidem videtur. Pri-  
mum enim lanceola callum perforat, deinde super  
canaliculato specillo acum immittit flexilem, qua  
intestinum paullo supra callum pungit, denique spe-  
cillum illud ex ani orificio protractum ita tenet, ut  
scalpello possit media pars transscindi. Alios sua-  
dere, hanc partem forcipe ad polypos vulgari tene-  
re atque forfice excindere. Posse etiam specillum  
ita aptari, ut alterius extremitatis foramini indatur  
filum, alteri vero, seu manubrio, rotula adiungatur,  
ut filum ansae loco inservire partemque intestini pro-  
trahere queat. Callosas partes omnes scalpendas  
excidendasque esse.<sup>33)</sup>

## 53.

Forfex, cuius usus in Anglia praesertim cele-  
bratus fuit, emendabatur circa idem tempus a  
COOPER O, cuius figuram exhibet Alexander MON-  
ROU S.<sup>34)</sup> Parum resimas fecit laminas forficis.  
Delineatum quoque tradit ibi MONROU S DOU-  
GLASSII scalpellum cum specillo canaliculato, et  
DRUMMONDII ferramentum, quod latum con-

<sup>33)</sup> PALLAS Chirurgie, S. 264.

<sup>34)</sup> Medical essays and obf. publ. by a soc. of Edinb.  
vol. V. p. 376.

stituit rectumque scalpellum, ad cuius finem inferiorem globulus, ad superiorem vero flexilis, capitulo munitus, incurvus stilos adnectitur. Infervit id instrumentum ad aperiendas fistulas coecas externas. Specillo nimirum canaliculato in finum ulceris immiso, scalpellum ei ita committitur, ut globulus in fulco specilli quiescat, stilos autem coecum finus finem contingat: quo facto acie lati scalPELLi transscinduntur partes mediae inter eam et sulcum specilli. Praeter plures vero molestias, quas id ferramentum gignit, rugis intestini saepius implicatur capitulum stili, atque ipsa acies rite agere nequit, cum trahi ducique non possit.

34.

B R A M B I L L A praeter curva scalpella, quorum apici vel specillum flexile, vel acum perforantem, velut H E U E R M A N N I instrumentum, adnectit, delineat etiam ferramentum satis compositum, inventum a R E T T E R O, atque nonnisi in fistulis perfectis adhibendum. Id tubulum habet rectum, ani orificio immittendum, ad cuius extremitatem inferiorem fulcris quibusdam innititur scalpellum incurvum specillo fulcato inclusum, quod elateris ope propellitur, atque omnes partes transscindit, quae inter specillum et tubulum iacent. <sup>35)</sup>)

35.

Tandem et in Gallia ligatura emolumenta melius cognita et observationibus illustrata fuerunt.

<sup>35)</sup> B R A M B I L L A's Armamentar., tab. LI.

MAJAULTIUS enim FOUBERTI methodum ita adhibuit, ut plumbeum filum paullo supra os ulceris per ani parietem traiceret; eo quidem casu multo tutius curationis finem attingi, quam si per ipsum os ducatur. Neque opus esse, ut plumbeum filum nimis constringatur, siquidem inde vel inflammationes vel aliae noxae sequi possint.<sup>36)</sup> MORANDUS quoque ligaturam potissimum commendat, dum altiora petit fistula, dumque sanguinis profusiones inde metuere possumus.<sup>37)</sup> Laudibus quoque eam extollit SAYOUX, ni diuturnos timet dolores aeger.<sup>38)</sup> Quin suo tempore in nofodochio caritatis Parisiensi ligaturam vulgatissimam fuisse, refert HUNCZOVSKIUS<sup>39)</sup>: et ACERLIUS experientia ipsius usum confirmavit.<sup>40)</sup>

## 36.

Tandem GUCKENBERGERUS hanc antequissinam methodum ita illastravit, ut, saepius plurimum antecellere ferramenta omnia, pateret. Unicum fere excipit casum, ubi locum non obtineat, nempe fistula canaliculos ac sinus laterales format. Namque dolores haudquaquam tanti sunt, ut iis deterreri possimus: neque obiici potest diuturnitas curationis, cum aeger officiis multo melius fungi possit, quam qui lectis fuit. Sanguinis profusiones

<sup>36)</sup> Journal de médecine, vol. XLI. p. 70.

<sup>37)</sup> Verm. chirurg. Schristen, S. 261.

<sup>38)</sup> Journ. de médec., vol. L. p. 369.

<sup>39)</sup> Medic. chirurg. Beobacht., Th. I. S. 170.

<sup>40)</sup> Chirurg. Handelser, p. 312. f.

metuenda non sunt, neque laesiones partium necessariarum. Consultius tamen agitur ferico filo contorte plicato, quam plumbeo, quippe quod non satis flexible forcipe per anum extrahi oportet. Filum autem fericum aequa minus putreficit ac plumbeum, facileque extrahi potest, absque acu, si chorda ad id apta, ex intestinis parata, utimur. Penetrari tamen debet a filo intestinum paullo supra orificium fistulae perfectae, cum superior ora fistulae insanata remaneat. <sup>41)</sup>

Usum huius rationis experientia sua confirmant FIELITZIUS, <sup>42)</sup> SCHNEIDERUS <sup>43)</sup> et LOEFFLERUS. <sup>44)</sup>

## 37.

DE SAULTIUS Foubertianam methodum, plumbeo filo fistulam subligandi, iterum introduxit, ita tamen, ut tubulum prius intromittat, supervacuum eum quidem, cum plumbum aequa protinus penetrare possit fistulae sinus. Extremum filum ad tubulum incisum firmat. <sup>45)</sup> SABATERIUS ligaturam ita emendare studet, ut loco plumbi, quod facile frangatur, filum fericum aut cannabinum adhibeat. <sup>46)</sup> Neque negat, hanc methodum doloribus faepe maioribus iunctam esse, quam ipsam incisionem.

<sup>41)</sup> RICHTERS chirurg. Biblioth., B.VIII. S. 261. f.

<sup>42)</sup> Ib. p. 526.

<sup>43)</sup> Ib. vol. XI. p. 156.

<sup>44)</sup> Ib. vol. XII. p. 348.

<sup>45)</sup> Ib. vol. XIII. p. 511.

<sup>46)</sup> Ib. vol. XIV. p. 467.

38.

Quod incisionem attinet, ea nupermissim temporibus praerimus a POTTIO et BELLIO exculta est. Ille enim multo simpliciorem eam reddidit, dum artificiosa ferramenta abrogaret ac simplex scalpellum, parum incurvum, capituloque munitum intrudere, digito in anum immisso explorare eius finem, ac uno quasi ictu transscindere partes subiacentes doceret. Optime praeterea noxas exposuit, quae ex praepostere applicatis causticis oriuntur. Denique callosas partes neque excindendas esse, neque destruendas, egregie monet, cum naturae ipsius ope evanescant, dummodo rite instituta fuerit incisio. Quodsi vero callosae partes originem duxerint a cachexia, ipsas sustinente, commodissimum omnino arbitratur, circumcidere aut incidere easdem, quid? quod ipso lapide infernali contrectet partes fungosas, laxas et fordidas. <sup>47)</sup>

39.

Simili plane ratione BELLIUS suadet, loco specilli canaliculati digito utendum ac scalpello ad id apto cultellum vulgarem adhibendum esse. Superfluum esse specillum, cum inferiorem partem intestini occupat fistula; cum vero superiorem, facile eo laedi partes vicinas, maxime vesicam. Cultellus ille duntaxat apice specilliformi instructus esse debet, ne digitus in anum intrusus apice acutiori violetur. Turundas merito damnat, linamenta tan-

<sup>47)</sup> POTT's chirurg. Werke, Th. II. S. 230. f.

tummodo carpta imponit, blando unguento imbuita. Callosas partes non excindit; eas sponte evanescere, simulac puri liber exitus paratus est. Quod si vero non ex pure incrassato, sed ex induratis partibus ipsis ortus fuerit callus, omnino incidendum eum esse cum POTTIO statuit. <sup>48)</sup>

40.

PERCIUS denique RUNGII aut MARCHETTI potius instrumentum dilatatorium iterum emendavit, ipsisque usum ad amplandas fistulas, quarum fundus altior est, et ad sedandas sanguinis profusiones egregie explicavit. Huic dilatatorio committit PERCIUS ipsum specillum acutum, cuius ope intellectum rectum perforat, dum fistula est coeca. Quae administratio, cum ambages plures gignat, eo potissimum nomine taxanda est. <sup>49)</sup> Neque tamen eo minus hac ratione prosperrimum vident excipi successum DELANGIUS. <sup>50)</sup>

SABATERIUS, ligaturam praferens, extirpationi tantummodo locum facit, cum complicata est fistula cum scirrhosa duritie partium vicinarum: alioquin enim non cruciatus solummodo, sed plures etiam generat noxas. <sup>51)</sup>

41.

Optimum ferramentum nuperrimis temporibus effinxit SAVIGNIUS, quod commoda scalpelli

<sup>48)</sup> BELL'S Lehrbegriff der Wundarzneyk., Th. II.  
S. 260.

<sup>49)</sup> RICHTERS chirurg. Biblioth., B. XI. S. 521.

<sup>50)</sup> Ib. B. XIII. S. 543.

<sup>51)</sup> Ib. B. XIV. S. 468. f.

Pottiani, capitulo instructi, coniungit, citra incommoda, quae inde oriuntur, quod, ob capitulum idem perforatio intestini eo ferramento institui nequeat. Etenim capitulo huic subiicit apicem acutum, quo retracto intromittitur ferramentum in os fistulae, simulac vero attigerit ani parietem, protensum penetrat tunicas.<sup>52)</sup>

Capitulo eo omillo videmus similis ferramenti iconem a LODERO forte ipso ita emendati.<sup>53)</sup>

<sup>52)</sup> RICHTERS chirurg. Bibl., B. XIV. S. 398.

<sup>53)</sup> HUFELANDS Annalen der französischen Arzneykunde, Th. I. S. 124.

## T H E S S.

1. A medicina chirurgia non penitus separari potest.
2. Iudicium velox et in medica et in chirurgica arte nonnunquam necessarium.
3. Medicina non solius ingenii, sed et temporis filia est.
4. Physica virginitas non omnino moralem praebet.
5. Bubonum discussio omnino suppurationi praeferrenda est.
6. Carcinoma vis vegetationis anomala effectus esse videtur.
7. Miasma specificum non est causa proxima carcinomatis.
8. In omni carcinomate adest nucleus suspectus.



1078

PICA





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN<sup>A</sup>UGURALIS MEDICA (17)  
DE  
**ANI FISTULIS**  
**CURANDIS.**

SPECIUM HISTORICO MEDICUM

CON

I

THER.  
C

PRO

ERI

